

dam tubuli orichalcici, alis mobilibus instruxit, quæ firmiter tubulo affixæ, cum eo circa cylindrum circumagi possunt, inter alas autem § tubulum relicte sunt due rimule tantæ latitudinis, ut commodè Sidera inter observandum per eas dignosci queant: quando igitur distantia inter binas stellas determinanda occurrebat, dirigebantur bina crura conversione pinnacidiorum alatorum, donec collineatione accuratissimâ, binis illis stellis exquisitissimè obversa, optatam syderum distantiam ostendebant.

Atq; sic tribus hisce modis Instrumentum nostrum quoad dioptras adornatum, syderibus omine fausto exponi § ad usum applicari, quod convenientissimum inter pinnacidia eligi, imò alterum pro alterius examine quâ certitudinem adhiberi promptum est. Et hæc etiam paucula de usu Sextantis dicta sunt.

Opera pretium me quidem facturum existimavi, si singulas Instrumenti partes § particulas accuratius ad oculum graphicè representarem, verum quia nimis id operosum ob temporis penuriam hæc vice non licuit, si quando fortè curioso cuidam Astrophilo istud gratum, resq; digna fuerit, illi debitè lubensq; cum omni honorum prosequutione morem gerere, non gravabor.

(34.) Ratio illa Optica est, quod, licet motus alicujus maculæ ab hemisphærii medio ad ejus margines sint penitus æquales, & æqualibus absolvantur temporibus, aut maculæ vera magnitudo circa medium eadem sit, quæ circa margines, appareant tamen in solis disco sub diversis magnitudinibus, quia obliquior æqualium spatiorum positus versus margines, in oculo inæquales admodum, ac subinde minores subtendit angulos visorios.

(35.) V. ipsius Hugeni Systema Saturninum, in quo hypothesein hanc suam fusè declarat.

(36.) Job. Dan. Major quidem in der Seefahrt nach der neuen Welt ohne Schiff und Segel / num. 12. scribit: Circumjoviales illos à Galileo primùm in Italia Anno 1610. scriptis publicis divulgatos, sed jam Anno 1606. à Simone Mario Vlmenli in Germania observatos esse. Quandoquidem autem pleriq; aliàs Galileo palmam hanc deferunt, nos cum paucioribus eam ipsi eripere nolimus. Cæterum non omittendum hîc est, quod Antonius Maria Schyrleus alias insuper quinque ejusmodi circumjoviales lunulas videre sibi visus fuerit, easq; præcoci æmulatione ab Urbano VIII. tunc seden-

seden-